



# Disputatio juridica inauguralis de judiciis et foro competenti

<https://hdl.handle.net/1874/342431>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
Judiciis & foro competenti.

Q V A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summis in UTROQUE JURE honoribus Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

ROBERTUS BASTINGIUS, BERGA ad ZOMAM. BRAB.

*A. D. 23. Junii, tempore & loco consuetis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clc lcc xc.

*Speſtatiffimo , Vigilantiſſimo ,*

D. D. ABRAHAMO BASTINGIO,  
Quæſtori tributorum , quæ ex agris dependuntur,  
& Bergæ ad Zomam ſcabino , fratri ſuo , tutori inte-  
gerrimo , filiali amore proſequendo , optime de  
me , ſtudiisſque meis merito :

N E C N O N

*Nobiliffimo , Excellentiffimo ,*

D. D. HUGONI GROTIUS,  
Prætori ejuſdem civitatis Clariffimo , fautori bene-  
volentiffimo , omni obſervantia , dum ſpiritus hos  
regit artus , colendo :

U T E T

*Speſtatiffimo , Clariffimo ,*

D. D. JOHANNI SCHAGEN,  
Ibidem conſuli primario , ad rogam uſque veneran-  
do , affinibus meis perquam dilectis.

*Hunc qualemcunque ingenii partum  
debita ſubmiſſione*

D. D. D.

ROBERTUS BASTINGIUS, Auct. & Reſp.

## DISPUTATIO JURIDICA

## INAUGURALIS,

## DE

## Judiciis &amp; foro competenti.

## THESIS I.



Udicioꝝ materiam pro modulo ingenii tracturus, pauca de ejus, utilitate præfari constitui; cum enim jure gentium reipublicæ sint constitutæ, regna condita, hæc autem diu stare nequeunt, nisi optimis sint suffulta legibus, *lex enim est, cui omnes obtemperare convenit, tum ob alia multa, tum vel maxime eo, quod omnis lex inventum ac munus Dei est, decretum vero hominum prudentum, coercitio eorum, qua sponte, vel involuntarie delinquantur, communis sponso civitatis, ad cujus præscriptum omnes, qui in ea republica sunt, vitam instituere necesse habent.* Rectissime igitur ad utilitatem humani generis & conservandum reipublicæ statum jure civili constituta est hæc regula, *singulis non esse concedendum, quod per magistratum publice fieri possit, l. 176. ff. de regul. jur. ut omnis occasio seditionis aut intestinæ discordiæ præcludatur, & affectibus cupiditatis atque avaritiæ frænum injiciatur, paucis casibus exceptis in quibus propter periculum, quod est in mora non expectatur judicis auctoritas, veluti si cui vis inferatur, vim enim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt, l. 45. §. 4. ff. ad leg. aquil. hoc autem eleganter exprimit, Cic. in orat. pro milor. cum inquit hæc non scripta, sed nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsa natura arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus, &c.* Sic & debitorem fugientem propria auctoritate apprehendere licet l. 10. §. 16. ff. qua in fraud. cred. quæ cum hæc ita sint, consequens est non solum utilia, sed & necessaria esse judicia, ut id, quod nostrum est, etiam ab invitis adversariis auctoritate judicis consequi liceat; quorum tractationem si non omnibus partibus absolutam vobis exhibuero, benevoli lectoris, æquo animo feratis rogo.

II. Est autem iudicium legitima causæ disceptatio, quæ fit inter actorem & reum coram iudice competente litis finiendæ gratia, *l. 9. & 13. C. h. t.* cujus variæ sunt divisiones, 1. iudicium aliud est civile, aliud criminale, *omnia iudicia, inquit Cic. in orat. pro Cecinn. aut distrabendarum controversiarum, aut malefactorum puniendorum gratia reperta sunt,* 2. aliud est publicum aliud privatum, publicum, quod ex legibus publicorum iudiciorum venit, *l. 1. ff. de pub. jud. ex eo dictum quod cuivis ex populo executio ejus plerumque datur §. 1. inst. de pub. jud. privatum, quo quis privatum commodum persequitur, quod subdividitur in universale, in quo de juris universitate agitur l. 18. §. ult. ff. de her. pet. generale, veluti pro socio: & singulare, in quo rem singularem persequimur l. 1. ff. de rei vind.* 3. aliud ordinarium, aliud summarium, ordinarium, in quo solemnis iudicii ordo observatur, & plena causæ cognitio adhibetur, summarium, in quo sine strepitu iudicii proceditur, & præter citationem necessariasque probationes reliqua juris solemnia omittuntur; hinc hoc iudicium rarius & non nisi ex privilegio, aut alia iusta causa exercetur, 1. huc pertinet bonorum possessio, quæ petitur *ex carboniano edicto l. 3. §. 4. ff. de carbonian. edict.* 2. causa miserabilium personarum, quibus hoc indulgendum esse æquitas suadet: 4. aliud præparatorium, aliud principale, cui præparatorium viam quasi sternit, veluti interdictum de tabulis exhibendis *l. 62. ff. de proc.* 5. aliud directum, aliud utile, aliud bonæ fidei, aliud stricti juris, aliud arbitrarium & ut generaliter dictam tot fere iudiciorum genera à doctoribus recensentur, quot sunt actionum.

III. Iudicium igitur constituunt personæ tres principales, actor, reus, & iudex, sine quibus iudicium consistere non potest, sunt & accessoriæ iudici vel partibus inservientes, ut assessores, apparitores, advocati procuratores similesque, quibus iudicium sua natura carere potest, sed tamen ob utilitatem litigatorum iudicis adhiberi solent: actor est, qui aliquid in iudicio petit, ac prior ad illud provocat, reus, qui lite pulsatur, *hinc Cic. reos enim appello, non eos modo qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur;* si vero non constet quis prior ad iudicium provocavit, tum sorte res dirimenda *l. 13. 14. junct. l. 62. ff. h. t.* in utroque ram actore quam reo requiritur, ut legitimam personam standi in iudicio habeat, stare autem in iudicio servus non potest, sive agat, sive conveniatur *l. 44. §. 1. ff. h. t. excipiuntur certæ causæ in l. 53. & l. 67. ff. h. t. l. ult. C. ubi caus. fiscal.* 2. Pupilli, minores 25. annis, furiosi, similesque nec agere nec conveniri possunt absque tutoribus vel curatoribus *l. 1. ff. 2. C. qui legit.*

*legit. pers. stand.* quamobrem sententia adversus eos indefensos lata nullam obtinet rei judicatae auctoritatem *l. 54. ff. de re judic.* si vero ab adversario admitti vicerint, sententiae standum, aetas enim minoribus indamnibus subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit *l. 14. C. de procurat. l. 6. C. de legib.* excipitur causa momentanae possessionis, in qua qualiscunque persona admittitur *l. ult. C. qui legit. pers. stand.* 3. magistratus temporale imperium habentes prohibentur propriam vel eorum, quorum tutelam vel curam gerunt, causam agere vel defendere, quamdiu cum imperio sunt, *l. 48. ff. h. t.* 4. filius. quoque non semper suo nomine agere potest, sed refert utrum de peculio castrensi vel quasi, an de adventitio vel profectitio agat, de castrensi vel quasi filius. suo nomine judicio experitur etiam invito patre, *l. 4. §. 1. ff. de pecul. cast.* in his enim tanquam paterf. consideratur *l. 2. ff. ad senat. c. maced.* si vero de adventitio quaestio sit, refert utrum pater usumfructum habeat an non, si habet, omnis actio patri permessa est, adhibito tamen filii consensu, nisi is minor sit, vel longe absit *l. ult. §. 3. C. de bonis qua liber.* quod si, pater absit, vel furiosus, filio tum agere permittitur, dummodo caveat patrem rem ratam habiturum *arg. l. 22. §. 4. & 10. ff. solut. matrim.* si autem pater usumfructum non habet, filio tum actio omnis competit, ita tamen ut consensus patris adhibeatur, qui, si temere consentire recusabit, à iudice compelli poterit *l. ult. C. de bonis. qua lib.* de profectitio solus pater, cujus hoc totum est, agit *§. 1. inst. per quas personas cuique acq.* interdum tamen ob certas causas conceditur, ut filius agat *l. 18. §. 1. ff. h. t. l. 8. ff. de procurat.* haec de filios. actore: si vero conveniatur, tum ex omnibus causis agi cum eo tanquam cum patref. potest, ita tamen ut executio suspendatur, donec paterf. fiat, nisi habeat peculium in quo, licet sit profectitium, executio fieri potest *l. 3. §. 11. & 12. ff. de pecul.* caeterum inter patrem filiumque nullalis esse potest nisi de castrensi peculio vel quasi, *l. 4. ff. h. t.*

IV. Ad agendum autem aut accusandum nemo invitus cogitur *l. unie. C. ut nemo invit. ager, vel accus.* nisi agatur ex lege diffamari *l. 5. C. de ingenuis manumif.* porro sicuti voluntatis est instituire actionem, ita eandem institutam ad finem perducere necessitatis est, quia per litis contestationem quasi contrahitur de sententia expectanda *l. 3. §. 11. ff. de peculio*, nisi actor malit liti vel instantiae renunciare, quod ei regulariter permissum est, non tamen impune, si justam litigandi causam non habuerit, tum enim viatica litisque sumptus adversario refundere necesse habet *l. 79. ff. h. t.*

si plures sint litis consortes, unus in solidum recte agit, præstita tamen cautione de rato *l. 2. C. de conf. ejusd. lit.* in defensione idem obtinet, modo caveat. De judicato solvendo *l. 2. eod.* sumptus autem à reliquis recte petet actione negotiorum gestorum *l. 40 ff. de neg. gest. l. 31. §. 7. eod.* quid si unus ex consortibus litem deserat, tum portio non deserenti accrescet *arg. l. 7. ff. famil. ercisc.* circa reum observandum, quod quisque etiam invitus pro se non pro alio possit conveniri, sic uxor pro marito, & è contra vir pro uxore conveniri non potest *tot. tit. C. ne uxor pro marit. vel &c.* Excepta primi pilari causa, ob quam ipsa dos à fisco interpellari vel retineri potest, si *universis viri ac nominatorum facultatibus exhaustis, nihil residuum inveniatur l. 4. C. in quib. caus. pig. vel hyp. l. 3. C. de primil. causa,* porro mater non potest conveniri pro debitis filii *l. ult. C. eod. me uxor.* cum potius meritis atque obsequiis filiorum mater sit provocanda, ut iis beneficiat, quam ullo judicio astringenda; sic quoque filius pro debito patris non convenitur, sive sit debitum ex causa publica sive privata *l. 2. & 4. C. ne filius pro pat.* nisi filius hæres patri exstiterit *l. 14. C. de rei vind.* imo etiam si hæres non exstiterit; tamen tenetur ex primipilari administratione patris *l. ult. C. de primil.* similiter pater pro filio emancipato non convenitur, conventus, si solverit per errorem, reperere poterit *l. 1. C. ne filius pro pat.* denique vicaneus vel bona ejus pro debito alterius vicanei apprehendi vel molestari non possunt. *l. unic. C. ut mill. ex vicam. Nov. 52. Cap. 1.*

§. V. Judex est persona publica autoritate ad judicandum constituta, estque vel in specie talis, vel magistratus, in specie talis est judex pedaneus, qui nudam tantum rei notionem, habet *l. 5. & 15. ff. de re judic.* magistratus est persona publica, quæ jurisdictioni præest, est autem jurisdictio cognoscendi judicandi judicatique exsequendi potestas: judices dare possunt, quibus hoc lege, Senatusconsulto, vel constitutione conceditur, item hi, quibus id more concessum est, propter vim imperii, velut præfectus urbi cæterique Romæ Magistratus *l. 12. §. 1. ff. h. r.* hi enim non judicabant nisi de gravioribus causis *liete ff. de extraord. cognit. l. 1. 78. §. 2. ff. de verb. signif. l. 13. §. 1. ff. de minorib. l. 41. ff. de liberali causa, & de similibus;* hic autem mos dandorum judicium jure novo sublatus est, & injuncta causarum omnium cognitio ipsis magistratibus, nisi vel occupationibus publicis vel multitudine causarum ipsi cognoscere impediuntur *l. 2. C. de judic. pedan.* aut sit ea negotii vilitas, ut sit superfluum moderatorem provinciæ expectare *l. ult. d. tit. certi tandem à Justiniano judi-*  
ces

ces constituti sunt, quibus omnes causæ, si mandarentur, mandanda erant *Novell. 82. Cap. 1. & seq.* iudices dari possunt omnes, qui non prohibentur, prohibentur autem quidam natura, ut surdus, mutus, perpetuo furiosus, & impubes, quia iudicio carent: quidam lege ut ignominia causa senatu moti: alii moribus, ut servi & feminae, non ob defectum iudicii, sed quia receptum est, ne civilibus officiis fungantur *l. 12. §. 2. ff. h. t. 4.* prohibetur is, quem adversarius petiit *l. 47. ff. h. t.* ultimo possunt iudices tanquam suspecti recusari ante litem contestatam, si iusta sit recusandi causa, eaque fuerit probata *l. 16. C. h. t. l. 17. ff. h. t.*

§. V. Cæterum desideratur, ut iudex sit jurisperitus per se vel per assessores suos, gravis, bonus *l. 13. ff. de offic. presd.* incorruptus *Novell. 8.* partibus non addictus, cujus præcipuum officium est causas utrimque cognoscere, utriusque partis allegationes audire, nihilque statuere alterutra parte inaudita, secundum illud Senecæ troad.

*Qui statuit aliquid parte inaudita altera,*

*Aequum licet statuerit, haud æquus fuit.*

2. Necessè habet rei qualitatem plena inquisitione discutere, & utramque partem sæpius interrogare, nunquid novi addere desideret, *l. 9. C. h. t.* causasque sic cognitâ prolatâ secundum allegata & probata sententiâ terminare, 3. Illud ei observandum est, ne aliter iudicet, quam legibus, constitutionibus, aut moribus prodictum est, perpetuoque similiter iudicatum *init. inst. de offic. jud. l. 38. ff. de legis: 4. Ne quid durius, aut remissius constituat, quam causa deposcit, nec enim clementia aut severitatis gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quaque res expostulat, statuendum, l. 11. ff. de penis.* 5. Ut non aliter de causa cognoscat & iudicet, nisi prius ante sedem iudicalem sacrosanctæ deponatur scripturæ, ut hoc modo recordetur se Deo inspectore adhibito causas proferre trutinandas, *l. 14. C. h. t.* 6. Ut initio litis se, litigatores, eorumque advocatos certa iurisjurandi religione obstringat; se quidem, ut juret, omnia se ex vero & legum observatione iudicaturum *d. l. 14.* litigatores, ut actor juret, se non calumniandi animo litem movere, reus, se non calumniandi causa ad inficias ire, pariter ambo, se nullam supervacua probationem petitueros *l. 2. C. de iurejurand. propt. calum. & auth. sequent. eod.* utriusque partis patronos, ut in ipsa litis contestatione sacrosanctis tactis evangeliiis juramentum præstent, quod omni quidem virtute sua omnique ope, quod verum & iustum existimaverint, clientibus suis inferre procurabunt; nihil studii relinquentes, quod sibi possibile est; non autem credita

sibi:



sibi causa cognita, quod improba sit vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesque mala conscientia liti patrocinabuntur, sed & si certamine procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, à causa recedent, ab hujusmodi communione sese penitus, separantes. l. 14. §. 1. C. h. r. Ultimo, ut lites compendiose decidantur, l. 12. C. h. r. ne fiant immortales & vitæ hominum excedant modum l. 13. C. h. r. quæ proinde intra triennium à tempore litis contestationis sunt finiendæ, si sint civiles, si criminales intra biennium l. 13. & 1. C. h. r. excipiuntur causæ, quæ ad jus fiscale pertinent, vel quæ respiciunt ad publicas functiones d. l. 13. illæ enim intra sex menses post litis contestationem peragendæ sunt l. 11. C. de jure fisci. hæc intra tres menses l. 54. C. de decurionib. hæc de personis principalibus, accessorix sunt assessores, qui consiliis magistratus & iudices, qui plerumque juris non erant periti, adjuvabant. l. 7. C. de assessorib. hinc consillarii dicti l. 3. C. eod. apparitores sunt litium executores l. 1. C. de sportul. & sumpt. advocati, teste Cicerone lib. 1. de orat, sunt, qui legum & consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & agendum, & ad cavendum periti sunt; elegantissime autem definiuntur, in l. 14. C. de advocat. divers. judic. quod sunt, qui dirimunt ambigua fata causarum, sueque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, quique non minus provident humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent; quibus ultimis verbis respondet locus ille Ciceronis in top. si consilio juvare cives, & auxilio æqua in laude ponendum sit, pari gloria debent esse ii qui consulunt, & ii qui defendunt. Procuratores sunt, qui negotia aliena mandato domini administrant, l. 1. ff. de procur.

VII. Hactenus de prima parte judicia; secunda est, quæ materiam continet, id est res in iudicium deductas, quas Jurisconsultus Callistratus ad quatuor genera refert, scilicet 1. ad munera & honores, 2. ad rem pecuniariam, 3. ad existimationem, 4. ad crimen capitale, l. 5. ff. de extraord. cognit. vel etiam cum aliis statuere licet, quod, quicquid in iudicium deducitur, sit vel actio vel exceptio §. 1. inst. de actionib. res autem certæ ac debitæ in iudicium deducendæ sunt, non quæ postea in obligationem adventuræ, l. 37. ff. h. r. hæc enim nova instantia indigent l. 23. ff. h. r. accessiones quoque post litis contestationem officio iudicis sunt præstandæ l. 25. §. 8. ff. de edilit. edicto. Inter causas in iudicium deductas hic ordo observatur, ut prius decidantur causæ præjudiciales quam principales l. 2. C. de ordin. judic. in reliquis hæc regula, per minorem

norem causam majori præjudicium fieri non oportere, major enim quæstio minorem causam ad se trahit, *l. 54. ff. b. t.* quia ex majoris causæ decisione intelligitur, quid de minore sit statuendum, quare prius agendum de tota hæreditate quam de parte, sive libertate testamento relicta *l. 7. ff. de hered. petit.* sic si causa criminalis cum civili concurrat, prius de illa cognoscendum, quia major ac gravior est *l. ult. C. de ordine judicior.* nisi in dilatione civilis plus sit periculi, ut si agatur interdicto unde vi, tum enim prius civiliter de possessione agendum, ne dominus interim privetur possessione, cujus maximum est commodum *§. 4. inf. de interd. l. 1. C. de appell. l. 7. C. de vi public.* præterea controversia de possessione proponi ac finiri debet ante eam, quæ est de proprietate, *l. 37. ff. b. t. l. 3. C. de interd.*

VIII. Forma judicii consistit in processu, qui est legitimus modus in judicio circa causam in id deductam à iudice & partibus vitandæ confusionis causa observandus, qui fuit alius jure veteri, olim enim, ut omnia ordine procederent, & ne temere sine causa quis ad jurgia & lites convolaret, impetranda erat actio à prætore, qui formulam præscribebat pro natura cujusque negotii, ut indicat *Cic. pro Rosc. sunt jura, inquit sunt formula de omnibus rebus constituta*, postea autem necessitas impetrandæ, actionis, solemnisque formulæ usus sublatus est: *l. 1. & 2. C. de formul. sublat.* alius est jure novo, hodie enim hic fere ordo observatur, reo ad judicium vocato offertur libellus, & exinde præbitis sportulis, & data fidejussione, viginti dierum gaudet induciis: quibus deliberet, cedatne an contendat, & si contendendum putavit; tum negando intentionem actoris, exceptionibusque propositis litem contestatur: *aut. offer. C. de lit. contest.* exceptiones actor replicatione excludit, hanc reus duplicando: atque ita deinceps *tot. inst. de replicat.* donec omnibus allegationibus propositis, & iis, quæ in factis consistunt, probatis, cognitisque, causa conclusa, iudicibusque permessa, tandem sententia definiatur, quam iudex exequendam curat legitimo tempore nisi fuerit appellatum *l. 15. ff. de re judic. l. 13. C. de usur. rei judic.* alius est jure novissimo, partim ex jure civili, partim ex jure canonico desumptus, vel moribus styloque cujusque curiæ receptus, quem apertius & perfectius à quotidiano usu in ipsis rerum documentis haurire licet.

IX. Partes judicii sunt quatuor, in jus vocatio, litis contestatio, causæ disceptatio & cognitio, sententia, sunt & media, quibus id, quod in judicium deductum est, probatur, veluti testes, instrumenta, vel alia documenta legitima: *Nov. 18. Cap. 10.* de quibus pluribus agere non

patitur circumscripta hæc pagina : in jus vocatio est omnium actionum instituendarum principium §. *inst. de pena. rem. litig.* vocare autem in jus est adversarium ad eum, qui jurisdictioni præest, juris experiundi gratia vocare *l. 1. ff. de in jus vocat.* quod olim propria fiebat autoritate, & nisi statim sequeretur reus, aut satisfaret iudicio fisci, manu injecta vi ducebatur, & rapiebatur collo, ut ajunt, obtorto, mos autem iste quod parum esset humanus, nec sine turba contingeret juxta illud Horatii

*Rapit in jus clamor utrimque*

*Undique concursus:*

paulatim exolevit, tandem enim sub posterioribus imperatoribus per viatorem reus vocari cæpit §. *tripl. inst. de action. Novell. 53. Cap. 3.* ita ut hodie in jus vocatio & citatio nihil differant, est autem citatio rei adjuvium vocatio juris cum eo experiundi causa facta auctoritate iudicis; citationem immediate sequitur actionis editio seu libellus, est autem libellus scriptura actoris intentionem complectens, cujus editio necessaria est, ut perspiciat reus, utrum contendere an cedere malit, & si contendendum putat, veniat instructus ad agendum cognita actione, qua convenitur *l. 1. ff. de edend.* partes libelli sunt exordium, narratio, & conclusio, exordium continet nomen iudicis, actoris, & rei, narratio continet rem, quæ petitur, ut perspicuum fiat quid quale & quantum petatur, *l. 6. ff. de rei vind.* causamque petendi *l. 33. ff. b. t.* conclusio petitionem continet, quæ apta sit oportet, negotioque conveniens, exempli gratia, in rei vindicatione actor petet se dominum declarari, sibi que rem cum omni causa restitui §. *1. inst. de act. l. 35. ff. de rei vindicat.* reus ita legitime citatus, si non compareat, tribus edictis evocatur, intervallo inter singula non minus decem dierum interveniente, quibus propositis tunc peremptorium impetratur, in peremptorio autem cominatur is, qui edictum dedit, etiam absente adversa parte se cogniturum, & pronunciaturum *l. 68. & seqq. ff. b. t.* 2. litis contestatio, quæ est narratio actoris & contradictio rei facta apud iudicem, qui causam audire cæpit *l. unica C. de litis contestat.* hæc adeo necessaria est, ut ejus omisio sententiam reddat ipso jure nullam *arg. l. unic. eod.* effectus litis contestationis præcipui hi sunt, initium facit litis *l. unic. eod.* 2. actiones tempore aut morte perituras perpetuat *l. 139. ff. de reg. jur.* 3. facit rem litigiosam *l. 2. C. de litigios.* 4. excludit exceptiones declinatorias *l. pen. & ult. C. de exception.* 5. omnes possessores constituit in mala fide *l. 10. C. de acquir. vel amitt. possess. l. 22. C. de rei vindicat.* 6. facit procuratorem dominum litis *l. 11. 23. C. de procurat.* ultimo inducit novationem

nem *l. 11. §. 1. ff. de novationib.* 3. causæ cognitio & disceptatio, cognoscere autem causam est rem in iudicio deductam discutere, & examinare, verumne an falsum sit, quod dicitur, æquum an iniquum quod petitur *l. 3. ff. de integ. restitut.* in qua fere hic ordo observatur, primo iudex actorem ejusque patronum audit, cujus intentio si negabitur, instrumenta, si qua ab eo proferantur, inspicit, testimonia cognoscit; hoc facto ad reum se convertit, cui potestatem præbet inspiciendi & impugnandi ea, quæ objecta & probata sunt ab actore, secundo actorem replicantem & reum duplicantem & deinceps eousque audit, donec ambo interrogati respondeant se nihil amplius adjicere velle, *l. 9. C. h. t. 4.* sententia, est ultima iudicis pronuntiatio, qua controversiæ motæ finis imponitur per absolutionem aut condemnationem *l. 1. ff. de re judic.* estque vel definitiva, quæ finem controversiæ principali imponit, vel interlocutoria, quæ de incidenti aliquo articulo fertur *l. 7. C. de sentent. & interl. l. 14. ff. de re judicat.* quæ ut valeat, varia requiruntur, 1. ut lata sit à iudice competente *l. ult. ff. de jurisdic.* omnibus præsentibus, qui iudicare iussi sunt, una namquæ absente nulla est sententia, licet præsentibus cæteri simul consenserint in iudicando *l. 39. ff. de re. jud.* non est tamen necesse ut omnes præsentibus consentiant, nam major pars hac in re superat minorem *d. l. 39.* si plurium sententiæ fuerint dissonæ, numero tamen pares, standum est sententiæ magis favorabili, qualis est, pro libertate vel reo *l. 38. ff. eod. non obstat. l. 28 ff. eod.* ubi enim agitur de sententiis prolatis per iudices pedaneos, qui non habent propriam jurisdictionem, ut sententiæ ab iis datæ confirmandæ veniant à iudice competente, qui eos dedit, *l. 15. ff. h. t. 2.* ut sit conformis libello, quoad rem petitam, causamque petendi, quia ultra id, quod in iudicium deductum est, excedere iudicis potestas nequit *l. 18. ff. de comun. dividund.* 3. ut scribatur per consequentiam literarum, non etiam constet, paucis literis temere descriptis *l. ult. C. de cominat. epist.* & ita scripta partibus à iudice recitetur *101. tit. C. de sent. experic. recit.* 4. ut sit certa sententia vel per se, vel per relationem ad aliud, *l. 5. §. 1. ff. de rejudicat. l. fin. C. de sent. que sine cert. quant. cujus ratio est, quod sententiæ finis sit terminare litem, quem non consequetur nisi, per certam pronuntiationem, alias ex lite lis oriretur: 5. ut feratur pure, non sub conditione, quæ si adjecta sit, pro non scripta habetur: *l. 1. §. 5. ff. quand. appell.* inter eos, qui litem contestati sunt sive procuratorio nomine sive pro se, *l. 1. C. de sent. & interl.* sitque prolata secundum leges, nam si adverteretur legibus, ipso jure nulla est, *l.**

1. §. 2. ff. *qua sent. sine appell.* 6. contineat, præter ipsius causæ principalis decisionem etiam condemnationem vel absolutionem, quoad restitutionem fructuum, expensarum litis causa factarum, nec non damnorum *l. unic. de sent. qua pro eo. Quod interest, & tot. tit. C. de fruct. & lit. expens.* expensas, quod attinet, regulariter victus victori ad illas restituendas condemnatur *l. 13. §. 6. C. de judic.* quod si iudex prætermiserit ipse tenetur victori ad illas præstandas *l. ead.* nec enim victor eas novo iudicio petere potest, ne lis altera consurgeret ex primæ litis materia *l. 3. C. de fruct. & lit. expens. iudex* tamen non tenetur certam quantitatem expensarum in condemnatione exprimere, sed sufficit, si generaliter dicat, victori expensas debere restitui *d. l. 3. C.* quia postea impensas iurejurando victoris æstimatas taxabit, & moderabitur secundum fori sui consuetudinem *Novell. 82. Cap. 10.* dicta tamen non obtinebunt, si victus justam litigandi causam habuerit, *arg. l. 40. ff. de hered. pet.* sententiam immediate sequitur executio ut finis & effectus iudicii, *tot. tit. C. de execut. rei. jud.* nisi remedium intercedat, veluti restitutionis in integrum *l. 42. ff. de in interg. restit.* appellationis *l. 3. C. de sent. rescind.* vel simile: est autem executio actus iudicialis, quo id, quod per sententiam pronunciatum est, ut victori præstet, victus per iudicem adigitur, *tot. tit. C. de execut. rei iudicat.* fit autem executio 4. modis, manu militari, si certum corpus actione in rem personamve petitum sit & existet, *l. 68. ff. de rei vind.* 2. missione in possessionem *l. 1. ff. quibus ex caus. in poss.* 3. captione pignorum, si debiti soluto, rei æstimatio, aut interesse præstandum sit *l. 4. l. 15. §. 2. & ff. de re jud.* in qua initium fiat necesse est à mobilibus, his deficientibus postea immobilia capiuntur & distrahuntur, & tandem in subsidium ad jura & nomina deveniendum est *l. 15. §. 2. & seq. de re judic.* 4. incarceratione: tempus autem executionis est quatuor mensium in actionibus personalibus *l. fin. §. C. de usur. rei jud.* in realibus autem statim fit executio, si res statim restitui potest, *§. 2. inst. de offic. jud.* si non, victo sine frustratione petenti tempus ad restituendum conceditur, ut tamen caveat de litis æstimatione fidejussore dato, si intra tempus ei concessum non restituerit *§. eod. inst.*

X. Hæc de iudiciis, sequitur forum competens, circa quod observanda hæc regula, actor sequitur forum rei, non reus forum actoris *l. 2. C. de jurisd. omn. jud.* fortitur autem reus forum ex jure communi vel ex privilegio, ex illo iuresex modis, 1. ratione domicilii, 2. contractus, 3. delicti, 4. rei sitæ, 5. continentia causæ, 6. prorogationis: domicilium

fium est commune vel particulare, commune est urbs Roma, l. 33. ff. ad municip. hinc quilibet Romæ repertus ex quacunque causa ibidem conveniri potest, excipiuntur ii, qui jus revocandi domum habent, quales sunt legati, l. 2. §. 3. ff. h. t. item ii, qui tutelæ reddendæ, appellationis petendæ, vel testimonii dicendi gratia Romæ sunt d. l. 2. §. 3. nisi Romæ contraxerint, tum enim jus revocandi domum non habent, exceptis legatis, qui, licet ibi contraxerint, dummodo ante legationem, non compelluntur se Romæ defendere, quamdiu legationis causa ibi demorantur l. 2. §. 4. ff. h. t. excipitur repetitio dotis l. 42. ff. h. t. sed & si ipsi agant, compelluntur se adversus omnes defendere, non tamen si injuriam suam persequantur, vel furtum, vel damnum, quod nunc passi sunt; alioquin, ut Julianus eleganter ait, impune contumelijs & damnis afficientur: aut erit in potestate cujusque pulsando eos, subdicere jurisdictioni, dum se vindicant l. 2. §. 5. ff. h. t. particulare est vel originale vel ascititium, originale unde quis ipse vel pater ejus oriundus est l. 1. l. 17. §. 1. ff. ad municip. nonnunquam tamen filius sequitur originem matris vel ex singulari loci privilegio, vel si sit spurius l. 2. §. 2. ff. ad municip. est autem hoc jus domicilii adeo immutabile, ut originarius in eo repertus conveniri possit, licet alibi larem fixerit, l. 6. ff. ad municip. l. 4. §. C. eod. ascititium est, ubi quis larem rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit unde cum profectus est, peregrinari videtur l. 7. C. de incolis: hinc studiosus in loco, in quo studiorum causa moratur, non intelligitur domicilium habere, nisi decem annis transactis eo loco sedem sibi statuerit l. 2. C. de incolis, in uxore observandum venit, quod sequatur forum & domicilium mariti, quod & vidua retinet, donec alii nupserit l. fin. §. 3. ad municip. l. 22. §. 1. eod. hoc tamen non obtinet in ea, quæ disponata tantum est, illa enim adhuc domicilium suum retinet l. 32. ff. ad municip. filiusfamilias quamdiu apud patrem est, fortitur domicilium patris, qui, si fuerit pubes, sibi domicilium seorsim constituere potest l. 3. & 4. ff. ad municip. l. 17. §. 11. eod. miles ibi domicilium habere censetur, ubi meret, si nihil in patria possideat. l. 23. §. 1. ff. ad municip.

XI. 2. Ratione contractus fortitur quis forum est enim regula juris, ut in loco, ubi quis contraxit, possit ex quamvis obligatione contracta conveniri, l. 19. §. 1. ff. h. t. nisi ejusdem obligationis implementum solutione in alium locum sit destinata vel contrahens statum sit inde discessurus, tum enim alter domicilium ejus sequi videtur, nisi contrahens eo

loci tabernam vel officinam conductam habeat, *l. 19. §. 2. ff. h. r.* tacita quoque conventionem fortitur quis forum, veluti per reconventionem, cuius enim in agendo quis observat arbitrium, eum habere, & contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur *l. 14. C. de sent. & inter loc. l. 11. ff. §. 1. de iurisd. l. 22. ff. h. r.* 3. Ratione delicti in cuius enim territorio quis deliquit, ibi expectat iudicium, quia delinquendo illi foro se subicit & obligat ratione pœnæ, *l. 1. C. ubi de crimin. agi. oport.* cuius ratio duplex est, prima ne auferatur actori facultas probationum, quæ paratior est in provincia, ubi delictum est admissum illic enim & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta præstari *l. 2. C. ubi de ratiocin.* altera, ut, quod exemplo nocuit, pœna emendetur, & solatio sit cognatis & affinibus interemptorum pœna eodem loco reddita, *l. 2. §. 5. ff. de penis:* est & illud proprium criminalis iudicii, ut, ubicunque reus reperitur, possit ibi apprehendi, accusari, & damnari *l. 1. §. 2. C. ubi de crim.* ne crimina maneant impunita, nisi iudex illius loci, ubi delictum est admissum, petat facinorosum ad se remitti, est autem hæc remissio adeo necessaria de jure civili, ut iudex remittere nolens non sit extra pœnam *Nov. 134. cap. 5. l. 7. ff. de custodi reor. l. 28. §. 15. ff. de penis: queritur,* si quis in confinio reperitur occisus, uter iudex habeat cognitionem, cum multis statuendum existimamus ad utrumque iudicem cognitionem pertinere, ita tamen ut præventioni locus sit *arg. l. 1. C. ubi de crim.*

XII. 4. Forum sortitur reus, ubi res sita est, de cuius possessione aut proprietate agitur, quamvis ibi nec domicilium habeat, nec contraxerit, nec deliquerit *tot. tit. C. ubi in rem actio est:* nihil quoque interest, an res sit mobilis vel immobilis *l. ult. C. ubi in rem actio: l. 24. §. 2. ff. h. r.* cæterum cum hoc foro etiam concurrat forum domicilii, in quo si actio fuerit instituta & reus condemnatus, res autem, de qua agitur, alibi sita, tum à iudice loci rei sitæ petitur, ut sententiam in loco domicilii latam exequatur, & in possessionem mittat *l. 15. §. 1. ff. de re iudicat. l. unie. C. de hered. petitur.* 5. Ratione continentiaæ causæ, ne ea dividatur, ut in iudiciis familiae erciscundæ, communi dividundo, *l. 1. §. 2. ff. de quibus caus. apud eund. iud.* ex eadem ratione proprietatis & possessionis causa coram eodem iudice terminanda, *l. 10. C. h. r.* ei vero, qui contra fecerit, imminet pœna ex officio iudicis *l. 10. eod.* ultimo prorogatione jurisdictionis à partibus facta, inter consentientes enim cuiusvis iudicis, qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet, est iurisdictio.

XIII. Pri-

*l. 1. ff. h. r.*

XIII. Privilegiatum forum competit ratione causæ, vel personæ: causæ autem privilegiatæ sunt, feudales, causæ status, quæ sunt ventilandæ, ubi reus domicilium habet, *l. 3. & 4. C. ubi causa stat.* non tamen nisi coram iudice *majori l. ult. C. eod.* Fiscales, quæ sunt coram procuratore Cæsaris seu rationali peragendæ, *tot. tit. ubi causa fiscali*, ratione personæ, pupillis, viduis, aliisque miserabilibus personis duplex concessum est privilegium, primum quod ne quidem ex rescripto principis cogantur extra provinciam comparere, ne sumptibus & itineris periculis vexentur, alterum ut imperator solus de causis earum, sola facti veritate inspecta, immediate cognoscat, *l. unic. C. quand. imp. inter pupill.* 2. Clerici, qui coram iudice ecclesiastico auth. statuimus *C. de episc. & Cler. 3.* studiosi cum suis famulis in Academiis coram rectore suo auth. *habita C. ne filius pro patres.* 4. Milites coram magistro militum *l. 3. ff. de re militari, l. 6. C. de jurisd. omn. jud.* 5. ob dignitatem senatores in civilibus & pecuniariis causis, si in urbe vel suburbanis locis habitent, coram præfecto prætorio vel urbi, nec non magistro officiorum, si in Provinciis degant, ibi larem fovent, aut majorem honorum partem possident, & assidue versantur conveniendi sunt, *l. 2. C. ubi senatores:* in criminalibus autem causis nullam fori prærogativam habent, omnem enim huiusmodi honorem excludit reatus; *l. 1. C. eod.* Coronidis loco sit hæc quaestio, an privilegiatus contra privilegiatum possit uti privilegio fori, si paria sint utriusque privilegia, negantium hac in parte sententiam amplectimur. *arg. l. 8. ff. de excusat. tut. l. 11. §. 6. ff. de minoribus.*

*Anchora de prora jacitor, stent littore puppes.*





# COROLLARIA.

I.

*Æquitas stricto juri est præferenda.*

II.

*Conductor casus fortuitos in se suscipiens tenetur quoque ad insolitos.*

III.

*Filius familias non potest testari de peculio adventitio licet pater usumfructum non habeat.*

IV.

*Fratrum filii soli existentes, succedunt patruo in capita non in stirpes.*

V.

*Jus accrescendi in emptorem hæreditatis non transit.*

VI.

*Mixtum imperium delegari potest.*

VII.

*Creditor invitus non cogitur accipere particularem solutionem.*

F I N I S.